

**1989-02-23 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Maxima Afficimur’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**MAXIMA AFFICIMUR**

**MEMORIAE PRODITUR SUMMUM PONTIFICEM IOANNEM PAULUM II  
DIE UNDEVICESIMO MENSIS IUNII ANNO 1983 IMAGINEM CORONASSE  
BEATAE MARIAE VIRGINIS «MATRIS PACIS» IN DIOCESI VARMIENSI**

Ad perpetuam rei memoriam. – Maxima afficimur laetitia quotiescumque facultas Nobis contingit signum aliquod dandi Nostrae in Beatissimam Virginem Mariam pietatis, quam a pueritia Matrem habemus tenerrimam, cuius pluries benignam experti sumus tutelam. Ceterum neminem fugit quantam eius amor vim habeat tum in Ecclesiae universae sortem prosperandam tum in Christifidelium spiritalem salutem tutam praestandam. Propensissimo igitur animo precibus indulsumus id temporis Venerabilis Fratris Ioannis Oblak, Episcopi Warmiensis, qui suum expromens votum simulque cleri et catholici populi, per epistolam ad Congregationem pro Sacramentis et Cultu Divino die decimo mensis Maii anno millesimo nongentesimo octogesimo tertio datam, rogavit ut Ipsi Nos in Nostra Apostolica peregrinatione ad Sanctuarium Czestochoviense in Polonia gratiosae Beatae Mariae Virginis Imagini «Matris Pacis» titulo insignitae, quae multa cum civium frequentia ad omnis nationis ordines pertinentium in loco colitur lingua vernacula appellato «Stoczek Warmiński», pretiosum diadema imponere dignaremur. Volentes igitur ut et in hanc caelestem Dominam, immo Reginam, fidelium augetur obsequium, et fiducia in eius misericordissima bonitate non solum firma maneret, verum etiam ferventior excitaretur, sicque ea perantiqua necessitudo pergeretur, qua Illa et Polonica Gens mutuo singularissimoque vinculo coniunguntur, Claromonte Czestochoviensi illud egimus quod postulatum erat, ut faceremus: ritu nempe omnino memorabili Sanctissimae Virginis Imaginem, cum Iesu Infante effectam, corona redimimus die undevicesimo mensis Iunii anno eodem, quem supra memoravimus, quae quodammodo testificaretur voluntatem Eam semper venerandi, sequendi, diligendi, quae solidissima est omnium christianorum spes et ad caelum via plana et segura. Ut vero tam faustae rei posteris proderetur memoria, has Litteras dari iussimus, facti testes verissimas.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Februarii, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.*

AUGUSTINUS card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*